

121. Papa Giulio II a Massimiliano I, imperatore romano eletto.<sup>1</sup>

Roma, 12 febbraio 1508.

Julius papa II... Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem... Hesterno die in consistorio nostro secreto dilecti filii nostri Melchior cardinalis Brixinensis<sup>2</sup> et Constantinus Cominatus Macedonie princeps literas tue Celsitudinis nobis et venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus reddiderunt exposueruntque illarum vigore ipsam tuam maiestatem iter Italiam versus pro imperialibus infulis de manu nostra suscipiendis ingressum esse, ac Tridenti nomen electi imperatoris Romanorum suscepisse, ut, quoniam hec expeditio armis tibi agenda est, inclinatiores tecum Germanos habere possis, voluisse autem hoc nobis per eos rite significari, ne quis emulus in calumniam vertere posset et dicere, quod in nostrum et s. Romanae ecclesie prejudicium id egisses. Cum tamen quidquid agis et meditaris ad honorem et commodum nostrum sedis apostolice referas iterque hoc ea mente susciperes, ut more clarissimorum predecessorum tuorum coronam imperialemque unctionem ab eadem sede suscias, accomodatissima oratione in literis explicandis cardinalis et Constantinus sunt usi, que a nobis et ipsis venerabilibus fratribus nostris equissimis aribus atque animis est accepta. Itaque tuam Celsitudinem plurimum in domino commendamus, que in suscipiendo nomine electi imperatoris verita sit animum nostrum offendere, quominus id juste et rite potueris facere, cum sancta Romana ecclesia in precibus et orationibus, quas die commemorationis passionis domini nostri Jesu Christi fidelibus facit, electum imperatorem appeleret, itaque cum nostra benedictione et gratia hoc electi nomine uti potes nec dubitare debes, ut nos cuiusquam obtestationibus aures praebeamus. Tam bonam enim opinionem de Celsitudinis tue erga nos et sanctam Romanam ecclesiam singulari devotione et pietate concepimus, ut nihil a te cogitari dici aut fieri posse credamus, quod in diminutionem honoris et dignitatis apostolice sedis cedat. Quod vero rem armis agendum putas, non possumus non vehementer dolere, quamquam speremus, inter te et christianissimum Francorum regem pacem aliquo bono modo fieri posse, presertim cum apud [sic] te sit venerabilis frater B. apiscopus Tusculanus, cardinalis s. crucis, noster et dictae sedis legatus de latere, singulari prudentia, fide et probitate preditus, a nobis hujus pacis causa missus, ad quam etiam nos Francorum regem non desinimus exhortari. Celsitudinem igitur tuam per omnia nostre religionis mysteria obsecramus et obtestamur, ut ab ipsa pace animum non avertas. Pace enim facta magis securus magisque honoratus Romam venire poteris ac nobiscum deliberare (nam et tu in temporalibus caput fidelium es) de expeditione contra perfidos Turcas sumenda, cuius expeditionis maximam occasionem Deus Salvatorque noster nunc obtulit. Baxetus enim illorum tirannus gravi bello (ut magnus Rhodi magister nobis significavit) a rege Persarum premitur

<sup>1</sup> Cfr. sopra p. 729, 731, non che ULMANN II, 333, n.; 340 n. Circa la composizione di questo documento v. N. 118.

<sup>2</sup> Melchiorre di Meckau.